



BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich


XVII

880









1. d. 19/

L A V D A T I O
BEATI ALOISII
G O N Z A G Æ
FERDINANDI MARCHIO-
NIS CASTILIONIS
Sacri Romani Imperii Principis
FILII



*Qui Anno salutis M. D. LXXXV. Die Diua Catharina sacro
societatem Jesu ingressus. ex eadē Anno M. D. LXXXVI.
Die 21. Junij, Annum vigesimum quartum agens,
ad cælum euocatus miraculis coruscat.*

D I C A T A

*Illmo Domino D. Sigismundo Myskowski Gonzaga
Marchioni de Myrow, Regni Poloniae supremo
Marszalco, Korczynensi, Grode-
censi, &c. &c. Capitaneo.*

A

*Philone Chulewicz, Collegii Lublinensis Socie-
tatis I E S V, Eloquentiæ studioso.*

C R A C O V I Æ,

Ex officina Typographica Andreae Petricouii. Anno Domini, 1606.

LAVDATIO
FATI ALIISI

GOMYAGE

FRONTI MARCHIO

MILITATIONIS

Principis

MILL

Principis

Principis

Principis

Principis

PRINCIPIS

Principis

Principis

Principis

Principis

Principis

Principis

II - 088 - VIII

Illustrissimo Dōmino,

D. SIGISMUNDO
MYSZKOWSKI GON-
ZAGÆ, MARCHIONIDE MYROW,

Regni Poloniæ supremo Marfzalco, Korczy-
nenfi, Grodecenfi, &c. &c. Capitaneo.

Domino & Patrono suo amplissimo.

Rertulit iam fama constans ad aures tuas, Sigismunde
Myszkoui, Senator amplissime, quàm insigni laude san-
ctitatis effloruerit vita B. Aloisii Gonzagæ, qui paucis
ab hinc annis natalium splendorem cum humilitate re-
ligiosa cōmutans in Societate IESU, feliciter diem ex-
tremum obiit. Res enim recens nostra memoria Romæ
in luce Italia gesta est, & tibi cum Serenissima Ducum Mantuæ familia
peculiaris, & maxima intercedit necessitudo; tuus ut meritò sit Aloisius,
tibiq; coniunctus, cuius Maiores te vicissim in suorum numerum coopta-
runt, Gonzagamq; dici & haberi in Sarmatia voluerunt. Et verò tu
ipse in eo itinere, quod susceperas, Oratoris munus ut perageres ad Sac-
Cæs: Maiest: à Sermo Rege nostro, es expertus præsens eius auxilium.
Cum enim in grauem coniectus esses nocte media, & gritudinem, & per-
acerbos perferens dolores, te humana non posse iuuare remedia animadu-
uerteres, memor effigiei huius Diui, tibi ab Illmo Oratore Regis Catho-
lici oblata, ea conspecta, eundem Diuum pro te ad Deum deprecatorem
esse voluisti. qui inuocatus suo tibi non defuit patrociniò, cum subito tan-
quam è graui somno correptus, pristinis restitutus es viribus. Eius itaq;
ego res in florida iuuentute gestas, & nobilem de mundo victoriam, stylo
simplici

simplici ut ornare aggesserer, facile Maiorum meorum hortatu sum
adductus. Neq. id eo consilio laboris suscepi, ut in tali encomio singulare
aliquod me curæ pretium facturum sperarem, aut in partem laudis ven-
turum cum iis scriptoribus, qui longè accuratissimo iudicio per Latium,
& alias oras in cælum ferunt eximias huius Diui res gestas; Sed ut meo,
& multorum ardenti studio seruirem, qui se nihilo segnius recentibus,
& quasi ante oculos positis Diuorum exemplis, quàm vetustioribus ad
cultum veræ pietatis inflammari sentiunt. Simul etiam ut Italorum
eximia religioni & humanitati aliqua ex parte respondere velle videremur,
qui tam sunt liberales in Patronis nostratibus exornandis, & nihil
non agunt opera, studio, authoritate, ut iidem solemnè Ecclesiæ approba-
tione in numerum Cœlitum publicè referantur. Id quod nuper in Diuo
Hyacyntho è Dominicanæ familia; recentissimè verò in B. Stanislao Ko-
ska eiusdem Societatis religioso, liquidò fieri videmus. Hanc autem lau-
datiunculam religiosi mei animi indicem ad manus hominum sub
Illmo nomine tuo venire volui: primò quòd ipsi Orationi è tua Senato-
ris grauissima dignitate multum, spero, accedet ornamenti. Deinde
quia commentariolus hinc benignas manus tuas facillè subire, & conspe-
ctum humanissimum emereri poterit; quia fronte nomen præfert eius fa-
milia, cum qua tu arcta amoris, & amicitia iura contraxisti. Quæ cum
ita sint Illme Myskoui, hanc lucubratiunculam, qua B. Gonzaga im-
mortalem felicitatem gratulamur, non secus, ac tibi factam, & ad te pe-
nitissimè spectantem, lubens ad te admittes: & ex ea re, ut par est, He-
roëm Catholicum, non mediocrem capies lætitiã: quòd quæ te, stirps
Itala Sarmatam recenti, & inusitato fauore complexa est, eadem adeò vi-
uum & spirans eximie sanctitatis exemplar, refrigerante passim carita-
te, orbi Christiano produxerit. Vale, & flore incolumis bono Reipub.
Polonæ quàm maximè.

Illustriss^æ D. U.

Seruus addictissimus

Philo Chulewicz, Collegij Lublinen: Societa-
tis IESV, Eloquentia Studiosus.

L A V D A T I O

B. ALOISII GONZAGÆ

Ferdinandi Marchionis Castilionis

Sacri Romani Imperii Principis

Filii.



MAGNA EST ECCLESIAE CHRISTI militantis cum triumphante, & cum exercitu ad dimicandum egregie instructo affinitas & similitudo, Auditores religiosi. Vt enim illa cœlestis Hierusalem variis Angelorum ordinibus, certa serie mutuo sibi connexis constat; ita Christiana respub. admirabilis politia varii status, & conditionis homines complexa, in suos ordines accurata methodo distribuitur. Et vt in exercitu valido sunt duces, antesignani, centuriones, signiferi, gregarii, triarii milites: ita in cœtu Christi sunt qui imperata faciant, quiq; imperent: sunt vigilantes Antistites, quibus summa reipub. Christianæ credita est: sunt religiosi Doctores, qui velut prolatis doctrinæ vexillis ad fortiter dimicandum contra queuis errorum portenta incitet. Sunt martyres, ad quos vt Triarios in vltimo discrimine Christiana res deuoluitur. deniq; promiscua plebs, quæ parendi legem accepit. Horum ordinum eleganti varietate Ecclesia Dei, velut castrorum acies ordinata redditur augustior, & hostibus formidolosior. Et quia hi ordines nō possunt omnibus temporibus in suo flore persistere, & vigorem tenere conceptū; quia sapè ipsa pugnandi assiduitas lassitudinem quandam & respirandi necessitatem adfert; quia veteranos & bene meritos æquus arbiter Deus ex acie sub-

ducit,

ducit, & in cœlestem coloniam transfert, eorū labores præ-
miis sempiternis remuneraturus: Ideò sapientissimus idem
Vniuersi moderator, deficientibus alacres, fessis recentes,
fauciis integros, tepentibus feruidos, extinctis viuos sub-
stituere nunquam intermittit. Neq; solùm viritim & sin-
gillatim singulos in supplementum decedentium destinat;
sed & confertim, turmatimq; omnibus propè mundi ætati-
bus integras centurias, legiones, chiliadas sub variis signis
ad subsidium laboranti Ecclesiæ submittit. Inde tot Religi-
osæ familiæ prodeunt, nouo spiritu & ardore feruida. inde
& nostra memoria sub vexillo Augustissimi nominis I E S V
producta Societas, & tanquam subsidiaria cohors Ecclesiæ
laboranti opportunè destinata, in quam lectissimos quosq;
Deus præpotens summus omnium arbiter cēturiare, & ad-
legere non dedignatur. Et vt silentio præteream Principes
eius, & antesignanos Ignatium, Xauerium, Borgiaque, a-
liosq; generis, & sanctitatis gloria toto orbe clarissimos: vt
omittam agmen inuictum martyrum, quorū sanguine bar-
bare & Europeæ regiones, maria, portus, insule tinctæ sunt;
en vobis **B. ALOISIVM GONZAGAM** Diuinum iuuenem
non minus stirpe, quàm virtute nobilem, quem mea rudis
& inculta laudandum suscepit oratio. cuius ita illustre ge-
nus cum insignibus virtutum, & religiosæ vitæ ornamentis
certare videtur, vt quod in eo excellat, non facile sit statue-
re; meritoq; dubitari possit, illène generi, an genus ipsi plus
debeat. Hunc igitur dum laudamus, Deum in primis lau-
damus, cuius munere in talem, quantus est, euasit Aloisius.
deinde suam amplissimæ Gonzagarum profapiæ pro meri-
to laudem impertimur, à qua velut ab radice tam eximia, &
omni virtutum genere fœcunda, propago succreuit. Sed
præcipuè tibi, religiosissima Societas, gratulamur eo nomi-
ne, quòd, quidquid studii in Aloisio formando posueris, id
ille tibi centuplo fœnore cumulatam reddidit; quòdq; ars,
& cultura tua cum eius indolis bonitate ad omnè virtutem
propen-

propensissima tam fructuose certauit. Esto enim foelicitatis id magnæ fuerit potius talem nancisci alumnum, qui à nature institutione, & diuino instinctu ad optima quæq; factus & institutus fuerit; nihilominus tamen & tua non fegnis, neq; otiosa fuit industria, quæ sibi extremum perpoliendi præclari huius operis laborem depoposcit: non iners artifex manus, quæ in tam proba materia suapte sponte insculpta virtutum lineamenta magis ac magis expoliuit. Et quandoquidem vita eius diuina & admirabilis digna est vt illius nulla pars silentio prætereatur, inspiciat eum Oratio nostra à puero, ipsa que per transfennam ætatis cunabula inuisat; deinde insignem integerrimi iuuenis continentiam, & illud inuictum animi robur admiretur, quo præditus per tot obstantes difficultates aditum sibi ad religiosa claustra patefecit.

Natus est B. Aloisius anno reparatæ salutis sexagesimo octauo supra sesquimillesimum, septimo Idus Martii (quo die celebris quadraginta Martyrum, Sebastæ pro Christo cæsorum recurrit memoria) patre Ill^{mo} Ferdinando Gonzaga Marchione Castilionis, cuius auus erat Princeps Mantuæ: matre Martha Tani, pari splendore generis foemina. Et quanquam hæc sint aliunde adscita, neq; solida, quæ à Maiorum splendore petuntur ornamenta; tamen Aloisio nostro futuræ virtutis subsidia, velut præmia diuinitus concessa fuisse videntur. quandoquidem ita scitè his vsus est, vt ea pro Christo proculcando, verè sua fecerit, & segetè meritorem insignium habuerit. Recenseant itaq; Annalium Italicorū diligentissimi scriptores, quæ, & quanta sit Gonzagarum, & quibus meritis in repub. Christianam, comparata nobilitas: nobis instar omnium est, quòd Aloisium illustre sydus orbi Christiano dederit; qui reddidit vicissim generi suo gratiam, & non minus ornamento stirpi, quàm ipsi stirps exstiterit. Nam in ipso penè vite limine, cum vix quartum attigisset annum, eximia viuida, neq; peruulgatæ indolis

indolis in eo specimina eluxerunt. Quæ res parenti Marchioni causa fuit, vt eum quantocius à teneris vnguiculis inter ipsa crepundia in ludicris certaminibus & armorum vsu, qualia ætas illa ferre poterat, exerceret. Neque abnuic puer ceræ instar ad omnia facilis hâc institutionem. Itaq; è sententia parentis, belli simulacra ciere, iaculari, oneratas pyrio puluere fistulas explodere, nec à maiorum tormentorum horribili strepitu abhorrere, aliaq; magnanimæ indolis dare argumenta, prorsus vt omnes in spem venissent, eum auitæ Marchionum gloriæ strenuum futurum æmulû, & cum lacte nutricis, armorum fragori assuetum, reliquam ætatem gloriose Marti dicaturum. Sed enim interea partes suas impigrè agente mundo, non desistebat vicissim diuina vis, occultis motibus animose eius insinuare, & illos instabilium cogitationum æstus sensim moderari, vt non minus se ad verum virtutis decus, quàm ad fluxam & vmbrailem vitæ fallacis gloriam, trahi aduerterit. Præter alia multa, quæ solide pietatis quedam veluti prænuntia in eo fuerunt, eximium illud fuerat, quòd vix dum oborto sibi rationis lumine, septennis puer nœnias suas, & ineptias pueriles agnouit & pertæsus est; quòd admodum accuratè illius ætatule noxas coram Sacerdote explicuit, & si quod ei per imprudentiam licentiosum dictum excidit, aut aliæ quæpiam obreperunt labeculæ, eas lacrymis, & vera detestatione absterfit. Erat in eo & illud præclarum, quòd cum purgato à labe animo, intractus & innocens ad literarum elementa accessisset ediscenda; simul etiam (Diuino procul dubio afflatu) secum certò constituit, se non aliter, quàm in famulatu Dei inter Ecclesiasticos vitam deinceps acturum; idq; constanti proposito firmavit. Deniq; sub idem tempus, eiusdè haud dubio Numinis ductu & magisterio, orandi, meditando diuina, inexpertam aliis & difficilem rationem didicit, & sibi quotidiano vsu fecit familiarem. Quo ex tempore ita illum deinceps honestas, & maturitas totum sibi vendicauit,

dicauit, vt nihil ei venerit in mentem postmodum, quod ineptam & puerilem leuitatem redolere videretur. Impotens videlicet est animus aliorum puerorum; fluctuant assidue magna instabilium cogitationum varietate; quicquid serium, respuunt; mutantur in horas, pluma leuiore. Aloisius noster aetatem maturitate, longè antegressus vix primoribus labris attigit puerilia crepundia. Deinceps in ipso prope vitæ vestibulo ita grauis, & sedatus esse cœpit, vt morum illam grauitatem viri prouectiores in eo demirarentur. Frequentare templa, sacrosanctis mysteriis crebrò refici, rei diuinæ quotidie summa cum attentione interesse, fugere ambitiosos aulicorum congressus, locum, & solitudinem aucupari, in quo Deo supplicaret attentius; hæ fuerunt integerrimo iuueni vsitata, & longè gratissimæ functiones. Quoq; à teneris frugalitati, & submissiōi religiosæ assuesceret, tanti Principis filius nullum sibi ex affectis, quorum non paucos præstò habebat ab obsequiis, famulari permisit. In habitu, & cultu corporis nullus exquisitus nitor, sed summa moderatio, & parsimonia. Vestitus frugalis, neq; pro conditione tantæ nobilitatis, sed ad vsitatum clericorum propiùs accedens, quo se tum induit, tum exiit ipse semper; nec vnquam ea in re familiarium opera vsus est. In Diuos, & præcipuè in Virginem, Deiparam singulari veneratione ferebatur: eius cultui peculiari ratione addictus, nō dubitauit in illo ætatis flore perpetuo se castimoniam voto adstringere. Quod equidem votum adeò ratum Deus immortalis, & intemerata Mater habuit, vt prorsus tota vita labis omnis expers, & nulla titillatus illecebra vixerit. Singulare verè, & rarissimum immunitatis genus, quod maximi Sanctorum mille periculis, & laboribus pro Christo perfuncti, ne quicquam multis precibus, & lacrymis conati sunt obtinere. Singulare, inquam, priuilegium, verum ei concessum, qui singulari grati animi virtute tanto diuino muneri vicissim respondit. Namq;

vt hanc illibatam corporis, & animi mundiciem nullo na-
uo infectā tueretur, quid non fecit? quid non vltro suscepit
rigidi? quibus non se abdicauit illecebris? victus quàm fru-
galis? Lego & admiror frequentem eius in præferuida, &
delicata corporis constitutione inedia: ferias omnes, quæ
Catholico ritu ieiunantur, summa cum parsimonia seruatas,
quibus præter aquam, & panem ad cibum nihil adhibebat.
Rarum est, neq; vulgò factitatum, quod referam. Acceperat
consilium à medicis morbi nescio cuius vitandi causa,
vti diætam aliquantisper seruaret; annus vnus & amplius
abiit, quòd prandia eius ouum vnicum erant; quo etsi irri-
tasset famem verius, quàm expleuisset; castigabat nihilomi-
nùs profusionem suam, & se lautè nimis putabat viuere. Et
cùm probè compertum haberet, nulla re magis illecebras
nobis etiam inuitis obrepere, quàm, si sensibus corporis
frena laxentur, eos inprimis arcta custodia sepsit, & sibi
penè ad omnia videnda, & audienda libertatem interdixit.
Tanta erat in incessu, & intuitu circumspèctione, præ-
sertim si prodiret quopiam, quòd neque publicas vrbum,
in quibus versabatur, vias; ne ipsius, in qua natus est, Ca-
stilionis vicos, & plateas internoscere, & distinguere sine
directore poterat. Qua in re imitatus fuisse videtur D. Ber-
nardum, vt de eodem scriptor rerum ab eo gestarum gra-
uissimus Gulielmus Bonevallis prodidit, quem adedò in re-
rum humanarum despicientia profecisse commemorat, ea
vt, quæ oculis vsurpamus promiscuè, solus non cognosce-
ret. Hinc multos per annos vno inclusus in domicilio ne-
scire se asseruit, fueritne fornice contactum, an ex ligneo
assere exædificatum. A spectaculis, ludis equestribus, &
militaribus certaminibus, aliaque mundi vanitate videnda
perpetuū erat ei abstinere. Et quod magis in iuvene sum-
mæ nobilitatis admiremur, nulla specie officij, non pater-
na iussione adduci vnquam passus est, vt in eiusmodi pro-
fanos cœtus se cupidius ingereret, vel, vt foeminas etiam
principes,

principes, & sibi cognatione iunctas accederet, ac alloqueretur. Maluit videlicet à familiaribus *μισογονής* passim audire; maluit subhorridus, & parùm vrbanus videri, quàm puritatis thesaurum incomparabilem minùs diligenti custodia tueri. Taceo reliqua eius ad tuendum animi candorem præsidia, taceo assiduam piarum historiarum lectionem, quæ vnicè fuit ei in deliciis; taceo stratum asperius data opera concinnatum; humi, vel in tabulis captam quietem; nocturnas excubias; summam frigoris patientiam, cum per hybernas noctes orare consuesset subucula tantùm vestitus: cuius incommodi arcendi causa, quanquam focus, & alia præsidia non deerant, minimè tamen eis vsus est perpetuus hic, & rigidus osor sui. Sed illud inprimis statum, & solemne erat rigoris genus, quòd ter, & sæpiùs in quavis hebdomada corpus cilicio, & acri verberatione affligebat. Quem in vsu si alia non suppetere instrumenta, præstò erat cathena ferrea: etsi cilicium asperius nõ esset ad manus, calcaria nudis lateribus apprimebat, quorum stimulis altè in corpus adactis, miri ficè excruciabatur. Illa verò fuga humanæ consuetudinis, silentium illud perpetuum, index erat animi altè in rerum diuinarum cõtemplatione defixi, humana omnia fastidientis. Ne multis; cœlum tantùm liberioribus oculis suspicere, Deum solum loqui, Deum, & diuina puro animi intuitu, nulla que caligine præpedito cogitare, & contemplari satis habebat. Nunquam igitur se inertio otio dedit, nunquam tempus fabulis contriuit: procul sales, procul festiua colloquia, quibus fessos animos hilarare, & frontem soluere solent viri etiam disciplinæ seuerioris. Diceres in austero quopiam cœnobio ab incunabilis eum tanto rigori assueuisse. Quem austeræ, & cõpositæ vitæ morem, & laudabilem silentii consuetudinem nec in gratiam charissimorum, quibus vtique debebat aliquid, intermittere solitum accepimus. Itaque cum eum iam ad religionis optata claustra pergentem fra-

ter, qui sibi in dominatu, & summa rei familiaris successit, humanitatis ergo itinere vnius diei comitaretur, non sapius, quam semel, atque iterum toto die in illo supremo digressu eum est alloquutus. Præclara verò hæc vitæ Angelicæ niuei candoris, & non vulgatæ pietatis tyrocinia. Deus videlicet præpotens, Deus ille erat, qui Beatum Aloisium dono continentia perpetuæ ornatum admonuit, non vsq; quaque huic soli priuilegio fidendum, & innitendum esse; sed alia, atque alia virtutum propugnacula, & firmamenta adhibenda, quo tutior esset integritas. Imbecilla, quippe est, D. Chrystomo teste, pudicitia, quæ solitaria sit, nec satis habet virium ad se sustentandam; & si aliarum virtutum assiduitas tollatur, eius quoque neruos incidi.

Atque his foeliciter vitæ perfectæ iactis fundamentis, te inprimis versipellis impostor munde, cum tuis axiomatibus B. Aloisius procul à se abegit, qui vel maximè primam ætatem vt ceream & flexibilem, & omni subito prauitati, & opinionum erroribus patentem, obseruare soles. Non, inquam, te magistro insidiosè veterator vsus est; non illa tua prima rudimenta, quæ teneris puerorum animis properè instillas, in se admisit. Suggerebas ei, & illis, qui tuas partes enixè tuebantur, vanitatis instrumenta. Inculcabas nihil miserius, & contemptius paupertate, nil beatius diuiriis, & vita conferta voluptatibus: nil magnificentius, quam imperare, celebrari, & eminere inter mortales; nil animosius, quam conuicia, iniurias acerrimè prosequi, & vindicare. Vidit ille passim æquè à primoribus, vt ab infimis hæc edicta nefaria magno cum assensu, & veneratione probari, præsentia in admiratione esse, futura obliuione alta sepeliri: vidit honores, opes, & reliqua fortunæ ludibria in summo haberi pretio, & infano desiderio exquiri; supera, & diuina in maxima ignoratione contempta iacere. Sed nimirum occuparant multò ante mentem eius intemeratam longè diuina instituta cœlestis magistri; & docuerant
longè

longè beatiorē esse voluntariā paupertatē; luctum,
& squalorē, quibus peccata, & mundi vanitas expiatur;
iniuriarū tolerantiam, submissionē, dedecus, infami-
am vltro in gratiam Christi tolerata, rem esse glorię plenif-
simam. Itaque & suo ad verum decus propensus ingenio,
& diuina vi incitatus, dum esset in Hispaniis ad aulam Re-
gis Catholici inter Ill^{res} ephœbos, cū ei sæculum vel ma-
ximè vana spe, & ostentatione adulterinæ fœlicitatis blan-
diretur, cœpit ille de sæculo deserendo, & de optima vi-
uendi ratione eligenda ista seriò cogitare. Quid hic ago in-
felix? quid ambitiosa aulæ frequento limina? quid me alie-
no fastu, & cætera vanitate contamino? Egone sum ille, qui
Dei Ter Optimi, qui salutis meæ rationem potissimam ha-
bere decreui? qui nuntio vitiis remissio bellū perenne ma-
lo dæmoni indixi? qui in sortem diuinam spontè concessi,
& Deum Præpotentem partem hæreditatis meæ vltro mi-
hi delegi? Numne iam satis est cœpisse, neq; vltra perge-
re? tutane iam mihi omnia? adeone sum extra omnem pe-
riculi aleam? si hanc in sæculo vitam sperem posse me sine
prolapsione continuare, obliuiscar propemodum fragilis,
& ad mala præclius humanæ conditionis; obliuiscar tot
periculorum, quibus omnia vbiq; referta sunt. Influunt
in animum, & adhærescunt, quæcunq; oculi, vel aures
hauriunt. Frangunt & eneruant iuuenilem indolem luxuri-
osi vestitus, exquisiti conuiuiorum apparatus; lenocina-
tur mollis, & lasciuia symphonia; inescant formæ, lepores,
verba ad fallendum composita; inflat opum & honorum,
ambitiosa contentio. Sed præcipuè deprauant exempla li-
centiosa, & in vitia præcipitem trudent omnem ætatem;
& vt ignis igne, ita scelus vicino scelere fouetur. Meritò
igitur cum sanctissimis quibusq; viris, meritò verebor, ne
si communem in hac mortali vita viam teneam, me quo-
q; communis exitus maneat; ne torrens hic moris huma-
ni, qui tanto impetu per orbem grassatur, & tanto cumulo



voluit ad Acheronta mortales, me quoque, si propior ad-
sim, & non in tutum abscedam, secum abripiat. Verebor,
ne ruina mea hosti speciosum triumphum, mihi verò igno-
miniam, & pœnas accersam sempiternas. Hæc attentius B.
Aloisio cogitanti non erat difficile statuere, quantoperè si-
bi expediret, qui se saluum vellet, ad Religionis claustra
fugere, & mundum adeò lubricum tot malis inundantem
relinquere. Neque illa consultatio multùm ei faceffuit ne-
gotij, quoniam hæc fuga dirigenda, quisue potissimè deli-
gendus esset hominum religiosorum cœtus. Quid hîc con-
silij? quid in eo biuio lubricæ adolescentiæ sequi ignarus
dubietatis? Viuendum est, inquit, & quidem Deo viuend-
um. duces & antesignanos vitæ diuinæ & admirabilis ha-
beo propositos; hinc Paulos, Benedictos, Augustinos, Ber-
nardos, hos solitudo, ieiunia, vitæ asperitas oblectabat, qui
hanc stationem, acceperunt. illinc paupertatis amantes,
duo Ecclesiæ columnina, Franciscum & Dominicum. hinc
silentij & solitudinis appetentem Brunonem Carthusiæ
patrem. illinc salutis humanæ Zelatores Ignatium, & eius
socios, quasi venatores ad feras capiendas video dispositos,
qui incultas hominum mentes ad verè pietatis cultum per-
traherent, & hoc teneræ iuuentuti à prima ætate omni co-
nato infererent. Quis ex his dux vitæ illi eligitur? Occurrit
primo aspectu Societas Iesv, quàm cum aliis nominibus
sibi iudicauit aptissimam; tum illo præcipuè, quòd in ea
vidit conatum ad teneram ætatem, piè & laudabiliter in-
formandam, & ad omnes honores Ecclesiasticos aditum,
præclusum esse. Vt igitur se perfectè abiiceret, vt penitens
omnem fastum mundi proculcaret, huic se Religionis ani-
mo & voluntate addixit, in qua Christi Domini submissi-
onem perpetuam perpetuò latens, & inglorius imitaretur.
Sed enim quàm ingens, & superatu difficile domi natum
sit Aloisio impedimentum, quo minus a tutum hæc salu-
bria cogitata perficeret, aduertite Auditores; simulq; vo-
biscum

biscum illud cogitate, qui viam virtutis insistant, non eos per plana semper ingredi, sed spinosa, dura, prærupta interdum calcare. Vsitatæ vulgò sunt illæ machinæ, quibus ad præclara tendentes, de gradu constantiæ deijci solent, & à studio perfectionis religiosæ auerti eximij iuuenes; minæ videlicet, intèpestiuæ querimonæ, & autoritate quadam armatæ parentum & affinium preces. Adhibet eas sapius iuratus noster hostis expugnandis tyronum Christi animis; quia nouit sibi millies è voto cessisse. Itaque his iisdem artibus nostrum Aloisium aggrediebatur pertinacissimè. Aperuerat ille confessario suo, quòd in animo presumtum habebat vitæ religiosæ propositum. Collaudat sacerdos consilia salutaria, sed negat nisi cum bona venia parentum ijs vtì posse. Appellabatur itaq; primò mater, quæ proximia sua in Deum pietate, currenti filio calcare etiam subdidit, magnam è re illa, quæ sibi accidit optatissima, capiès animo lætitiàm. Verùm non perinde patre vsus est. Agebant tum omnes in Hispanijs magno cum splendore, singulari apud Regem Catholicum gratia. Itaq; vbi accipit Marchio Aloisium suum alia omnia moliri, quàm ipse ipse, & voluntate præceperat; primùm id ea mente filium cõfinxisse arbitratus est, vt se auerteret ab aleæ lusu, cui intempestiuam dare operam, & millia multa solebat profunderè. Neq; diffidit, omisso lusu, facillè quoq; omissurum iuuenem suscepta vitæ rigidioris desideria. At vbi obfirmationem in dies in proposito cõperit; tum verò doloris veluti facibus incitatus, grauius ingemuit filium sibi carissimum & natu maximum, spem stirpis & familiæ suæ, per summam indignitatem surripi; & ad illud institutum pellici, vnde nulla daretur occasio ad infulas, & sacrarum dignitatum culmina eum prouehendi. Ab eo itaq; tempore curarum, & indignationis plenus, omnem contra mouit lapidem, & nil reliquit intentatum, quo labefactaret tyronis propositum, militiam spiritualem cogitantis. Iubet igitur

è vestigio

è vestigio reditum in Italiam adornari; & domum rectà pe-
cit, si fortè patriæ, natalisq̃ue soli innata dulcedine inescar-
tus, si alijs lenocinijs, veluti mollibus nexibus implicatus à
cœptis retardaretur. Adest ope & consilio, eademq̃ue ne-
ctit impediméta turba affinium, & vt quisq; sanguine con-
iunctissimus, tum per se, tum per submissos religiosos fran-
gunt iuuenis voluntatem. Sed præcipuè patruus Dux
Mantuxæ, qui multis nominibus carum habebat Aloisium,
& eundem è sacro fonte susceperat. Is itaq̃ue quò disuasio
maius haberet pondus, per subornatum Antistitem aucto-
ritate, & in dicendo efficacia singulari, monet pro potesta-
te nepotem, videret etiam atq; etiam, quid ageret. Non si-
bi, non alijs placere præceps, & immaturum iuuenis studi-
um: parui admodum animi, & incauti consilij rem hanc
videri, vt Marchionis filius stirpis maximus ad omnia sum-
ma natus, patriam dignitatem, quam certò manu iam tene-
ret, adeò leuiter aspernaretur; vt tam ingentes opes, alia-
q̃ue gratuita Dei ornaméta in se affatim congesta contem-
ptim abijceret. Esto enim fortunæ bona fomenta vel inerti-
tis, vel arrogantis vitæ fuerint nonnullis; At non Aloisio,
cuius egregia indoles, & in iuuenilibus annis insignis ani-
mi moderatio fidem facit, hæc omnia segetem, & materi-
am ingentis gloriæ futura. Quòd si hæc non placent, & fi-
xum est in animo curis huius sæculi solutum, ac honoribus
politicis valere iussis, diuino cultui se addicere; longè vti-
que fructuosiore Deo, & Ecclesiæ operam nauaturum,
longè melius gloriæ suæ, & Reipub. Christianæ consultu-
rum, si inter sacrorum Antistites infula vel purpura insig-
nis non vulgo tantum, sed & Ecclesiæ Proceribus norma
virtutum esset. Alioqui si obscurus in paupere quopiam
cœtu lateret, simul ipse, simul virtutes eius procul ab om-
ni conspectu remotæ, non perinde magnum humanæ so-
cietati commodum essent allaturæ. Denique si ne his qui-
dem assentiri placet, & stat sententia inter Deo deuotos cœ-
tus vitam

tus vitam agere; eligeret saltem aliam religiosam familiam
ex iis, quæ & vetustate, & illustrium virorum copia florêt;
quamuis honores omnino non aspernantur, si summi Pa-
storis autoritas, & Ecclesiæ rationes id postulent. Ad ea
submissè, verùm efficaciter, Spiritu Diuino pondus verbis
suggerente respondit Aloisius: Certum sibi, & definitum
esse non alia ratione, quàm sub humillimo Christi iugo vi-
tam agere; ab eo ne latum quidem vnguem vel boni meli-
oris colore, vel quantæuis excellentiæ obiecta spe retrahi
velle. Quid enim (vt de sæcularibus interim honoribus ta-
ceatur, quorum adulterinus splendor in confesso est, &
facile in oculos incurrit) quid, inquam, sunt insulæ, quid
rubentes pilei, quid ipsa dignitatum Ecclesiasticarum sa-
crosancta culmina, si eis callidè se insinuans mundana va-
nitas, si fluxa breuitas, si edaces curæ, si quotidiana, & cer-
ta pericula diligenter expendãtur? A quibus periculis pro-
fectò nemo vnquam Christi doctrinam professus Prælatos
exemit; nemo ita eorum sortem & sublimes cathedras su-
spexit, vt cum eis humilitatem religiosam in cõtentionem
dignitatis venire posse negauerit. Equidem suaue, & per-
honorificum iugum Christi, nolle se, neque debere apud
eos prædicare, qui multò id perfectiùs edocti sunt. Neque
se primùm hoc cœlestis vitæ in terris agenda iter ingredi
tentare: Tritum iam satis est frequens esse, postquam fili-
us Dei Altissimi tam, illustri, tam luculento suo exemplo
præiuit, non tantùm nobilitatem, quæ iam vulgò contem-
nitur amore Dei; non Marchionatus, non opima sacerdo-
tia; sed patrita sceptræ, & insignia maximorum imperio-
rum cõculcasse pedibus, & vexillum Christi animosè sustu-
lisse plurimos, nunc verò fulgere in cœlo longè illustri-
bus coronis, & tiaris redimitos; nunc veras & immortales
possidere dignitates. Neque verò fas est de eis id affirmare,
quòd ignorauerint, vtrum toti orbi conspicui, an inter ob-
scuras monasterij latebras abditi plùs de Deo, & salute mul-
torum

torum mereri potuissent. Horum itaque, qui sine dubio alta mente, & luce diuina præditi, quod esset optimum elegerunt, ego vestigia sequi, horum saltem agmen claudere, & extremum locum in militia spiritali tenere volo, inquit Aloisius; si tamen per vos licet vltimum mihi inter agmina Christi assecularum esse; per vos, inquam, qui pro vestro officio, vt primus essem, omni ratione contendere debetis. Hæc adeò seria, & constans oratio facilè disuasores permouit, vt cederent; ne operam frustra ludere, & Deo repugnare viderentur, cuius tam aperta Diuum Gózagam ad se vocantis indicia compererant. At non cessit Marchio, neq; desijt obniti seueriùs, vt paternam quodammodo personam exuere, ac innatæ indulgentiæ sensim obliuisci velle videretur. Et quamuis in expugnâda filij constantia tandem se frustra laborasse præclare videret; nihilominùs inconsulto quodam doloris impetu, & veri decoris ignorantie abreptus longiùs perrexit partim sæua interminans verbera, partim alijs, atque alijs rationibus instans, si quo modo responsum à filio paulò sibi gratius extorquere posset. Vbi idem, quod antè retulisset, se obfirmatù in diuino famulatu frustra his tentari, & subruì. Tunc eum acerrimè increpitù faceffere, atq; ociùs se ab oculis proripere iubet. Nec mora; ictus hæc voce filius obsequitur, & in vicinũ Castilioni D. Virginis cœnobium abscedit; & quidem admodũ lætus indignationem paternam vel ad modicũ tempus quietis religiosæ degustâda sibi fecisse potestatem. Ibi verò lacrymis, & orationi largiùs indulgit; ibi laxauit frena assueto rigori geminâ per diem castigatione se affligens. & quamuis nõdum profanum vestitum exuisset; iam tamen ita se mundi omni affectu, & amore nudauerat, vt de reditu ad aulam paternam minimè cogitaret. Sed non permisit illum inibi diu versari nimis præpostera suorum sollicitudo. Accersitur inde; sistitur parentis conspectibus; castigatur vt proteruus, & sui decoris penitùs immemor, qui obscura latibula quæsierit.

quasi ferit. Ille verò ex obediētia secessionem eam se fecisse respondit. Ingeminat Marchio ad hanc religiosam vocem verborum fulmina, & multò quàm antè durius acceptum à se attigit. Hic mihi paullulùm animis adeste iuuenes, dum pro mea tenuitate paucis explico, quonam pacto, & quibus viribus Christi bellator id fuerit assecutus, vt in isto spiritali conflictu ad se tandem aliquando victoria inclinaret. Haec enim verbis solùm disceptatum, & litem agitatam vidimus; nunc manus & arma expediri, nunc ferio certamen committi attendite. Pergit rectà obiurgatus ad cubiculum suum religiosissimus iuuenis, quo concluso ad inusitata tela proripit se; sternit humi corpus, & lacrymis se proluens Christum è cruce pendentem adorat. tunc arreptis funiculis nudatum tergus acerrimè conuerberat, vt sanguineis riuulis pauimentum cōspargeretur. Acta res est solo Numine conscio. Verùm non est passus Deus immortalis hoc insignē facinus Aloisii lacrymas supplices cū sanguine miscētis intra cubiculi parietes latere; quamuis id maximè, vt alia multa, voluisset ille perpetuo silentio suppressum esse. Submissus enim à parente Praefectus arcis, qui curiosè odoraretur, quid post tam seueram denuntiationem suus ageret filius, per ostium pugione perforatum, videt cruentam verberationem: refert ad Marchionem lacrymis ipse perfusus ex illo insolitæ rei spectaculo. Non tenet ipse quoq; Marchio lacrymas; & quamuis eius videndi spectaculi cupidus; tamen quòd tum ex podagra laborans properè ad cubiculum filij adrepere non posset, in sequentem diem se refert. Nec eum fefellit expectatio. Si quidem offendit postridie filium non secus ac antè, eodem situ corporis partim instare precibus, partim ictus infligere corpori tam validè, vt sanguine mistis lacrymis, subiecta quæq; maderent. Excussit duro parenti multò vberiores lacrymas flebile spectaculum; flexit pertinacem animum, itaque saxum pectus emolliuit, vt quanquam ingemiscens, & inui-

tus voluntati carissimi filij subscriberet, eamque se ratam habiturum testaretur. Vicisti magnanime iuuenis non equidem in cruento certamine, sed vicisti gloriose, & perripisti potissimam aciem, cui maxime filius contestatus animorum hostis optimis tuis conatibus valide obnixus est. Agnosco te geminum Christi athletam non oscitantem, non inertem, non languidum, sed verè diuino, & insuperabili robore præditum. Deerat hoc tantum, vt in tuum corpus crudelis, & barbara quæpiam sæuaret manus; sed non deeras tu tibi, neque detrectasti pœnas à te, quas non merebaris exigere. Deerant, qui te excarnificando ab aditu religionis prohiberent: vltro tu supplicium hoc tibi infligis paratus in gratiam vocantis Dei nulli carnificinæ cedere. Itenunc, qui mollem & delicatum vobis Christi famulatum comminiscimini, qui citra sudorem, & puluerem de hoste mundo vos triumphare ponere, & eius laqueos euadere vobis persuadetis: qui leui brachio rem agendo pia studia facile continuari; qui cum cantu, & symphonia fugam ex Ægypto adornari posse putatis? Nil eos egisse Apostolus ait, qui non ad sanguinem resisterunt: admodum leuia, vel penè nulla constantis erga Deum voluntatis dedisse specimina, qui corpus etiã in causa Christi pœnis vltro non obiecerint. Illos demum alicuius notæ in famulatu Dei esse cœpisse, quibus certum est potius cruentari, vitam potius profundere, quàm fidem semel Deo votam fallere. Tu B. Aloisi macete hac virtute, qua inuictorum martyrum inclyta certamina nobis adumbras; & plùs hoc animoso facto assequeris, quàm si ducens ordines militares hostili sanguine campos, & æquora rubefaceres. Ex ista enim victoria miles, fortuna, rei bene gerendæ occasio multum sibi decerperet: at illa, de qua à nobis instituitur oratio, de mûdo & mundi fautoribus quãta est, tua est: nemo quidpiã potest ad se ex ea deriuare. Hanc ego sacræ militiæ lauream, quæ capiti tuo impendet, omnibus victoriæ insignibus præfero,

han

hanc suspicio. Hic debellatum est, nemine præter Deum,
& causæ æquitatem ferentem suppetias. Hic iniqui conatus
oppressi sunt, qui specie quadam officij, pietatis, & ne-
cessitudinis obiecti latuerunt. Hic arma impia extorta, qui-
bus etsi prætendebatur humanitas; at impia tamen & ho-
stilia fuerunt. Nihil erat iis fallacius; nil teste summa veri-
tate insidiosius conatu domesticorum; nil Aloisii causâ ius-
tius. Quæ enim esse maior æquitas potest, quàm ab im-
portunissimo tyranno mundo, cuius Princeps idem est,
qui Princeps tenebrarum, saluum & incolumem vindicare
innocentissimum iuuenem, & in libertatem religiosam,
qua nulla est illustrior, asserere? Illi enim mundanæ tyran-
nidi, quanquam aliud agendo, parens adnitebatur pleno
iure filium addicere: pugnabant quàm maximè ad com-
munem captum efficacibus rationibus, blandimenta falla-
cis sæculi, authoritas paterna, mistæ minis illecebræ perur-
gebant, & in cœno terrenarum cupiditatum demergere
conabantur cœlestium desiderio flagrantem iuuenem.
Nec satis; viri Principes, Ecclesiæ Præsules erant in parti-
bus; omnes veluti agmine facto in vnum incurrebant So-
cietatis candidatum. Nil propiùs factum est, quàm vt mul-
torum infelici exemplo succumberet in hoc certamine iu-
uenilis animus. Et quot enim, quantiç; iuuenes indole
summa præditi magno vsui sibi, & religiosis familiis futu-
ri hisce machinis fracti dederunt manus, & lene tormen-
tum, sed validum domesticæ persuasionis non valuerunt
sustinere? Nulla quippe vis insidiosior est, quàm quæ pie-
tatis, & veri amoris quodam colore fucatur. Sed non præ-
dico, neque exaggero longiùs hanc nobilem victoriam,
quàm aliæ, atque aliæ non dissimiles consecutæ sunt. Re-
crudit enim, neq; penitè sopita est ista carnem inter &
spiritum pugna; non conqueiuit vis & obstinatio sancta
consilia præpediens, vt intelligatis? solemne esse Christi
militiam professis multa aduersa superare: malum damo-

nem iuratum religiosorum conatum æmulum, nec si centies vincatur, ab impediendis eis absterri. Abierunt anni plures, quibus hoc domesticum, & intestinum bellum ductum est. Rediit nec semel ad ingenium Marchio: speravit enim rem humano iudicio æstimans crebris hisce veluti impressionibus, & longa solitudine id se assecuturum, ut filij animus si non ad otium, & torporem delabere-
tur; at ipso diuturnæ expectationis tædio languefactus in-
tepesceret, & in sua causâ fieret remissior. At iuuenis ma-
gnanimus, qui & aliâs semper ad omnia mundana iam oc-
caluerat, & scopulis surdior susurros callidarum persuasi-
onum respuere consueverat, tunc vel maximè inuictum se
præstitit. Neq; solùm de rigore vitæ quidquam non detra-
xit; sed magis in sui custodiam intentus assuetas precatio-
nes, in ediam, verbera, cæterasq; corporis afflictiones au-
xit in dies, ut totos omninò dies in eiusmodi exercitatio-
nibus conterere videretur. Qua re domestici attentius
considerata, & in primis addictissima pietati Mater, mari-
tum per communes fortunas orat, ut, si vitam filio non in-
uideret longiorem, cederet tandem obfirmatæ eius volun-
tati. Alioqui contra votum suum opinione citius peritu-
rum ad eò asperè in se sine arbitris, & moderatoribus sæui-
entem; quem utiq; viuendi rigorem religiosi superiores
pro sua prudentia facilè temperarent. Nil erat efficacius
tam seuera denuntiatione: illa scilicet fuit instar omnium,
quæ patrè deiecit à pertinaci sententia, & aliquando coë-
git omissa cunctatione ratam habere illam, quam de domo
paterna, & de cognatione sua tantoperè filius vrgebat di-
scensionem. Agitur itaq; more maiorum Seren^{mo} Impera-
tore Romano assentiente, ut maximus natus filius columen
familiæ, hæres opum ac dignitatis paternæ, illa se nascendi
conditione abdicaret, & opimam hæreditatem fratri ponè
sequenti concederet. Ille verò qualem se in ea concessio-
ne præstitit? Nolite à me expectare Audiotes (non enim
est

est proclive dictu) vt vobis vberius edifferam, quàm libenti animo, quantoperè lætitia gestiens in Christi gratiam, amplissimo patrimonio, & honorum titulis cessit fratri secundo genito. Nemo vnquam ita lubens, quo manus hostiles effugiat, vinculis se exoluit; nemo in cursu, quo vitam suam seruet incolumem, tam promptus prægrauantes abijcit sarcinas, vt lubens, vt promptus & alacris, opes & honorum insignia veluti pedicas, & pondera excussit, abiecit noster hic eximius viator, quo exoneratus nudum Christum sequi, & ad vexillum crucis expeditius euolare posset. Infixerat iam dudum in animo suo illud Apostoli: Hilarem & liberalem datorem à Deo diligere. Non itaq; tantum hæc, quæ sibi magno, & ad magna adspiranti pusilla erant; sed millies plura & maiora dedisset alacritate incredibili: proculcasset sceptras, abiecisset imperia, vt quantocius in Christi cœtu esse liceret. Habemus id literis proditum, & viua voce B. Aloisii testatum. Nam cum ei pro familiaritate multi dicerent; magno utiq; eum cumulasse beneficio fratrem, & ingentem ei peperisse lætitiã, quòd secundo loco in lucem editus, repente in locum principem susceptus esset. Ad hæc Beatus aiebat: Equidem ignoro, quàm ea res acciderit iucunda fratri iuniori: vnum scio certissimò; nūquam fratrem, quòd princeps, & columen familiæ factus sit, tantam animo lætitiã concipere posse, quanta ego nunc effector, qui ambitione mundi proculcata, exautoratus & inglorius ad humilem Christi Domini famulatum vtrò me abijcio. O singularem vim diuinæ sapientiæ, quæ te magnanime iuuenis, ita philosophari de rebus amplectendis, & relinquendis edocuit; quæ veritatem supernam in quadam caligine mundanarum opinionum latentem adeò peritè rimari, & è regula diuina non vulgi sensu pretiosum à vili separare ostendit. Vtiq; tu nobis institorem prudentissimū refers, cœli regnum amplissimum è sententiã Saluatoris licitantem. Vtiq; negotiaris admodum fructuose, qui magno

compen-


compendio, pdigens temporalia, & momentanea lucra, æternarū opum possessione ditaris. Abiicis lutū vilissimum; inuenis valore incōparabili margaritā. calcas fastū, & vaporis instar euanescentem ambitionē; & veræ gloriæ culmen tenes. Aliis, quos esse mundi mācipia per summā indignitatem non pudet, famulatus diuinus, & religiosā humilitas intolerabile probum est; tibi, quem emancipatum, & iure cœlestis libertatis gaudentem sæculum, nequam non possidet, seruitus diuina regnum est, decus est. Et verè decus immortale, verè solidus honor, cuius splendorem verum ne cogitatione assequimur. Habes centuplum & in hac vita promissum; habes & in futura æternam amplissimam hæreditatem; vt de trophœis aliis, de coronis, de laureis taceam, quibus pro sublimium virtutum merito in cœlo decoratus incedis. Habes ius in subselliis diuini iudicii confidendi, & ferendæ sententiæ potestatem, quando tremente toto orbe terrarum supplicia erratis, præmia rectè
» factis à Christo immortalis iudice decernentur. Habes il-
» lud, vt D. Bernardi luculento vtat testimonio, culmen ho-
» noris, & prærogatiuam perfectæ securitatis, quæ summum
» pauorem funditūs arceat, & excludat. Hæc est nimirum fœ-
» lix paupertas voluntaria omnia relinquentium, & sequen-
» tium te, Domine Iesv. Fœlix planè, quæ tam securos, im-
» mò tam gloriosos faciet in illo singulari fragore elemen-
» torum, in illo tremendo examine meritōrum, & sub distri-
» cto iudice incertæ sententiæ expectatione. Quis nam, oro,
» sæcularis honor excogitari potest, qui non prorsus in tanta
» sublimitatis comparatione vilescat? non vnus enim vrbis
» populum, non regionem, aut prouinciam vnā, sed totum
» vniuersum, ipsos etiam Angelos iudicabunt, qui apparen-
» tem ad modicum vaporem præsentis gloriæ dedignant, &
» & exsufflantes nuditatem Christi, & abiectiōem, vtrò
» amplexi sunt. Eant igitur (vt præclare idem suauissimus
» Doctor ratiocinando assurgit) eant, inquam, & præripiant
» immatu-

immaturos honores filij superbiæ; cum principe suo sedent, qui latera Aquilonis elegit: dedignentur Christi submissionem, cui tam sublime fastigium, singulari diuino promisso destinatum est. Infelix prorsus ambitio humana, quæ ambire magna non nouit quærens de fluxis, caducis gaudere, & de æternis affligi; de modicis crescere, & de maximis minui. Quid istud est miseriæ, quòd ad amplissima diuina promissa mens humana dormitat, neq; expergitur; cum tamen ad popularis auræ motum leuissimum adeò erigatur, & efferuescat? Vbi nunc ambitiosi, vbi rumusculos inanis gloriæ insatiabili studio venantes? Vbi auari, qui opibus infinitis inhiant? Si ditescere immensum, si eminere aliis gestit animus; cur infinitam æternarum opum vim, cur dignitatum insignia ante pedes iacètia transilitis? & per prærupta, per deuios anfractus, vagi miserè in profundas vitiorum voragines præcipientes ruitis? An vnquam pœnitet, vel quandoque pœnitebit Reges, & Principes innumeros, & cum eis B. hunc Aloisium Gonzagam Marchionem, summi Magistri exemplo in humilium ordinem se redigisse, & sui generis oblitum inter infimos plebeios latuisse inglorium, proculcasse stemmata, Christi submissionem vniuersis dignitatum culminibus prætulisse? Adest porrò, adest iam tempus, quo sibi magno constat hæc modicæ gloriolæ iactura. Adest, inquam dies, qua sole clariùs liquet fœlix, & fructuosa ista momentanei honoris cum æterno commutatio; quandoquidem ille pannosus, qui inter purpuratos esse contempsit, ille ad vilem tunicam, & pauperem cellulam abiectus nunc adeò magnificum de mundo, carne, de diabolo triumphum agit, & immortalitatis corona redimitus æquali cum Christo duce gloria præfulget. Nunquid modò cum Diuo Gonzaga Societatis religioso in certamen honoris audeat maximus Principum, vel Regum quisque potentissimus venire? quem

re? quem de cœlo meritorum suorum insignibus collucen-
tem orbis Christianus tanta cum veneratione nunc suspi-
cit; & porrò magis ac magis suspiciet; neque solùm illum,
sed & te stirps Serenissima Gonzagarum præcipuè admi-
ratur; te quoque laudibus immortalibus celebrat, quòd a-
liquando tale pignus Christo, & Religioni commodasses.
Hæc sunt, quæ mihi de primis B. Gonzagæ pietatis tyroci-
niis in vestro confesso dicenda erant, Auditores Religiosi,
primordia tantùm, & rudimenta vitæ integerrimæ, qua li-
cuit, simplicitate dictionis adumbraui. Illa verò, quæ cœ-
tui sancto aggregatus edidit virtutum specimina, conscius
meæ infantia, sciens volensque nec attigi. Siquidem D.
Aloisium semper non tantùm sui similem fuisse, sed in dies
se ipso euasisse sanctiorem, & in religiosa palæstra multò
maiori pietatis laude claruisse, satis illustre argumentum,
suggerit vita religiosissima in sæculo arbitrato suo acta. An
enim si proprio Marte, & suis auspiciis tam fortis, tam inte-
meratus, tam potens vitorum domitor fuerit; in Religio-
ne victorias longè illustriores non cumulauit? non plura
de hostibus trophœa erexit? An si tam multa præclara vir-
tutum ornamenta sua industria sibi comparauit; non plu-
ribus meritis auctus est in tam diuite cœtu opum diuina-
rum; in familia perfectarum virtutum Magistra, & lucro-
rum spiritualium cõficientissima, quæ sub vexillo sanctis-
simi Nominis Spiritu diuino feruida, ponè illa veterum Pa-
trum vestigia, & instituta sequitur, atque ad Apostolicæ
vitæ normam proximè accedit? Dabit ergo veniam mihi
clarissima familia, in cuius gremio B. Aloisius ad tantam
perfectiõnis maturitatem venit, quòd eloquentiæ candi-
datus, eius candidatum duntaxat vobis, Auditores, spectân-
dum proposui; in illum verò vberem, & spatiosum laudum
campum, quem intra septa religiosa decurrit, egredi ora-
tionem meam non sum passus. Dabit & ipse Beatissimus
cœli in-

cœli incola veniam, quòd apud vos nil aliud præter p
mordia virtutum ipsius mea dictione sum persecutus. S
mulq; apud Deum præpotentem, cuius immortalem glo
am lætus iam contemplatur, votis castissimis illud efficie
vi suæ præclarissimæ, & sempiterna memoria dignæ res
saculo gestæ Nobili iuuentuti, ad optimam vitæ ratione
eligendam, ad ætatem floridam grauitè, moderatè,
& sine labe transigendam exemplo sint
efficacissimo.


D I X I.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



8975
—
A



2780

8976
17

